

hit sibi simile in totum, forma ipsa  
venenum unumquodque, quod pa-  
riter fluxile est, ut magnes ferrum  
quod similitimum sibi erat. Caro Vipe-  
rina intus præsumpta ad cutim pro-  
pellit tanquam Theramenes lapis,  
qui ferrum longe à se expellit, Et  
hæc satis.



QUALE SIT VENENUM

*Viperinum tribus illis in particulis  
contentum, an dissimile sit.*

CAP. VI.



VENENUM in den-  
te Viperæ natura à  
primordio ab ute-  
ro exeuntis confi-  
stere certum est, ex  
vi seminis genita-  
lis, hoc veneno im-  
buti ad dentes constituendos. Illud  
autem compertum est, in Viperulis

B 3      ute

uterum exeuntibus, ac etiam in dentibus mortuæ Viperæ conplantatum, ut natura ipsa in ipsis dentibus non extrinsecus advenire, ut in canibus. Quod si ita esset quandoque contingeret esse sine veneno, quod revera in vipera evenire non potest. Videtur igitur esse natura ipsa in dentibus substantia venenata, ut est in pastinaca pisce, in aculeo arenei piscis tam in vita, quam in morte. Istud autem quod à fellea vesica ad gingivas & dentes transfertur, nulli dubium est in animantibus venenosis fuisse, & esse venenum dum vivunt, quoniam calore naturali venenosi serpentis fovetur, & actu est spirituosum & fervidum, Non autem in mortuo, propterea cum deglutiatur integer serpens, ut Stellio, & terrestris bufo à Vipera, jam mortuus deglutitur, statim feces per alvum eiciuntur venenosæ, si quid relinquatur, ipsa natura ad felleam vesicam ad id oneris constitutam rapitur, cæteris expellen-

pellentibus membris, & inde paulatim ad gingivis & dentes deducitur meatibus certis: quo in loco calore nativo virtute venefica, quæ in dentibus habebat, actu Vipereum venenum efficitur, & si hæc eadem materia extincto animali, & abolito calore nativo exolvitur, ut etiam alibi à me dictum est. Quare hæc erit materia Viperini veneni, non in totum denudata à priori forma venenata. Quod ita sit, felibus & canibus fel projectum & deglutitum, quandoque occidit, & quandoque non, id autem contingit pro varietate veneni deglutiti à Vipera, quæ non omnia pari ratione evincuntur à natura vesicæ felleæ Viperinæ. His in partibus venenum contineri & effici solum, statutum est, In carne verò nullo pacto consistere posse à me probatum est antea, & iterum confirmabitur: Quoniam si in carne consisteret, prius in corde, & arteriis, & in jecore, ac venis containeretur, & inde in totum corporis habitum dif-



funderetur ; Canibus & felibus , si porrigantur , ut sepè sum expertus , nihil officiant ; signum est , non esse venenum , Sed si caput hæc animalia devorent carnivora celerrimè obirent , inest enim actu venenum. Quam obrem hac ratione certum est , in carne non contineri venenum , Unde Horatii Falcci sententiam illaudandam fore existimavi , qui ad Lydiam lib. i. Carminum , sic scripsit : Cur Olivum Viperino sanguine cautius vitat. Idem quoque in epodo : Quid hoc veneni sævit in præcordiis , num Viperinus hic cruor in coctus herbis me fefellit ? In Viperino sanguine venenum contineri ex vulgi sententia judicavit , sed Poète conceditur. Postquam igitur non in jocore , & venis , corde , & arteriis , neque in carne continetur , necesse est in prædictis partibus solum residere venenum , quemadmodum in cauda cervi tantum consistit materia venenosa , ex serpentibus , quos vi naturæ ex cavernis

nis attrahit ad eundem locum deman-  
data, neque tota è secessu ejecta carne  
cervina tutò utimur; Sic radius Tur-  
turis Marinæ, quæ Pastinaca est, ve-  
nenatus est, aded ut vulnera illata ab  
eo, sine ejus scobe curari non possunt,  
caro ejus tamen in cibo assumitur. In  
felis cerebro venenum est, non in  
reliquo animantis corpore, quo plu-  
rimi vescuntur tutò, relicto cerebro;  
Sic Draconis piscis aculeatis brac-  
chiis venenum inest, toto pisce uti-  
mur in cibus sublatis branchiis, seu a-  
culeis. Ita in Vipera contingit, re-  
jectis venenosis partibus, innoxie  
carne vescuntur tot populi, quos e-  
numeravimus, longitudinem vitæ  
proferentes, neque præeunte horro-  
re, nullo subsequente periculo. Sed  
ne tempus frustra conteratur, col-  
ligendum: duplex esse in Vipera ve-  
nenum, ingenitum unum in dentibus,  
alterum acquisitum in gingivis. Quæ-  
ritur an illud in dentibus complan-  
tatum sit ejus dictæ substantiæ, cum

eo quod residet in gingivis? Videtur quod sic. Quoniam dentes, & gingivæ videntur augeri ab eo, quod transmittitur; sed forma extrinseca est diversa, solida enim in dentibus, fluidum verò in gingivis. Quare illud quod à vesica fellea transmittitur, heterogeneum esse, aliquo modo negari non potest, præcipuè cum aliam in dentibus formam & actum accipiat, Sed cum à vesicis & gingivis dentes foveantur, & eandem formam intrinsecam accipiant, necesse est homogeneum esse. Patet igitur satis plenè, quod, & quale sit venenum quod in dentibus & gingivis consistit, & qua ratione possit differre.